



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 31. Vtrum, & quo pacto peccatum veniale, & mortale differant ex natura rei, vel ex sola Dei voluntate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

nes eiusdem formæ in eodem subiecto, & in eodem genere non differunt specie, concedo; in diuersis subiectis, & generibus, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Sicut priuationes eiusdem formæ in subiectis, ac generibus diuersis possunt esse ita diuersæ, vt vna sit peior, quam altera, vt dictum est in responsione ad secundum, sic possunt esse etiam specie diuersæ; sed actus auaritiæ, & actus prodigalitatis differunt specie, & sunt contrarij; ergo priuatio rectitudinis liberalitatis in actu auaritiæ specie differt à priuatione eiusdem rectitudinis liberalitatis in actu prodigalitatis; ideoque malitia prodigalitatis specie differt à malitia auaritiæ, & vniuersim malitiæ actuum, quorum vnus peccat contra aliquam virtutem per excessum, alter per defectum, differunt specie. Proportionaliter malitia peccati venialis specie differt à malitia mortalis, quia licet aliquando sint priuatio eiusdem rectitudinis, tamen sunt priuatio in actibus diuersis, ac differentibus specie.

40. Ad 4 patet ex dictis. Malitia enim odij Dei consistit in negatione, qua odium priuat rectitudine debita, non ipsi odio, sed aliquo pacto debita generi actus moralis, & in priuatione, qua priuat subiectum omni rectitudine actuum honestorum hic, & nunc distinctiue debitorum, quæ priuatio habet suam speciem, quia est priuatio in actu odij, ideoque differt specie à priuatione eiusdem rectitudinis in actibus distinctis ab odio.

QVÆSTIO XXXI.

Virum, & quo pacto peccatum veniale, & mortale differant ex natura rei, vel ex sola Dei voluntate?

S. Thomas qu. 87. art. 1. & 2.

1. **V**idetur peccatum mortale differre à veniali, non ex natura rei, sed ex sola libera voluntate Dei, vt docuerunt Gerson tertia parte, tractatu de vita spiritali, lectione prima, Almainus tractatu tertio moralium, capite decimo, & Rossensis articulo 2. contra Lutherum, quos refert Vasquez 1. 2. disp. 143. cap. 1. num. 4. Primo quia peccatum mortale est, quod Deus reputat non esse dimittendum, sed puniendum morte æterna, peccatum veniale est, quod Deus reputat esse dimittendum, ac non puniendum morte æterna; sed ex sola Dei voluntate libera pender, quod aliqua peccata Deus nolit dimittere, sed velit punire pena æterna; ergo peccatum mortale differt à veniali, non ex natura rei, sed ex sola libera voluntate Dei. Hinc Vuicleffus intulit omnia peccata prædestinatorum ac facta esse venialia, quia Deus omnia peccata prædesti-

natorum vult dimittere, & nullum punire pena æterna; omnia peccata reproborum esse mortalia, quia Deus vult illa punire pena æterna.

2. Secundò peccatum mortale est, quod priuat gratia, quæ est vita animæ, & dissoluit amicitiam cum Deo; peccatum veniale est, quod non priuat gratia, nec dissoluit amicitiam cum Deo; sed quodlibet peccatum est offensa Dei, adeoque est dignum dissoluere diuinam amicitiam, & solum ex diuina misericordia procedit, vt aliqua peccata de facto non dissoluant diuinam amicitiam; ergo ex sola diuina misericordia procedit, quod de facto aliqua peccata non sint mortalia, sed venialia.

3. Tertio peccatum mortale est, quod meretur penam æternam; sed peccata, quæ de facto sunt venialia, si nunquam deleantur, penam æternam merentur, ideoque de facto in damnatis puniuntur pena æterna, vt cum S. Thoma 1. 2. quæstione 77. artic. 5. ad 3. docent Suarius, Vasquez, & Theologi penè omnes, & nos dicemus cum ipsis infra qu. 40. quod autem peccatum de facto deleatur, pendet ex diuina misericordia; ergo ex diuina misericordia pendet, quod aliqua peccata sint venialia.

4. Quarto si peccatum mortale differret à veniali ex natura rei, vel differret per hoc, quod mortale est contra præceptum, veniale contra consilium, vt docet Scotus in secundo distinctione 21. quæstione prima §. dico ergo; vel per hoc, quod mortale sit circa finem, hoc est Deum, veniale sit circa media, hoc est circa creaturas, vt docere videntur Caietanus, & Corradus, quos alij sequuntur; vel differret per hoc, quod mortale sit contra legem, & præceptum, veniale non sit contra, sed præter legem, & præceptum, vt docent Alexander de Ales, S. Bonaventura, & alij, quos citat Vasquez 1. 2. disp. 143. cap. 1. 2. & 3; sed nullum ex his dici potest; ergo &c. Probatur prima pars minoris. Nam qui facit contra consilium, per hoc præcisè quod faciat contra consilium neque venialiter peccat, eo pacto, quo non peccant, qui contra consilium seruandi virginitatem, ducunt uxorem; ergo peccatum veniale non consistit in hoc, quod sit contra purum consilium. Probatur secunda pars minoris. Nam tum circa Deum, qui est finis, tum circa creaturas, quæ sunt media, possumus peccare, vel mortaliter, vel solum venialiter, ex grauitate, vel leuitate materiæ, ex eo, quod peccemus cum plena libertate voluntatis, & aduertentia intellectus, vel absque plena libertate, & aduertentia; ergo peccatum mortale non differt à veniali per hoc, quod mortale sit circa finem, veniale circa media. Probatur tertia pars: nam sicut qui peccat mortaliter, furando rem magui pretij, facit contra legem diuinam dicente *ne fureris rem magui pretij*, sic qui peccat venialiter, furando rem parui pretij, facit contra legem

legem diuinam dicentem *ne fueris rem parui pretij*; ergo non solum peccatum mortale, sed etiam veniale est contra legem obligantem, ac proindè peccatum mortale non differt à veniali per hoc, quod mortale sit contra legem, veniale non sit contra legem, sed solum præter legem.

5. Respondeo omnes penè Scholasticos, quos refert, & sequitur Vasquez 1. 2. disput. 142. cap. 2. num. 5. docere contra Gersonem, Almainum, & Rossensem, peccatum mortale differre à veniali ex natura rei, & non ex sola libera voluntate Dei; quin imò Petrus de Soto tractatu de discrimine peccatorum, lectione 6. circa finem, existimat contrariam sententiam ad errorem Stoicorum accedere, qui existimarunt omnia peccata esse æqualia; nec desunt, qui illam censeant temerariam. Probatum primo: nam peccatum mortale per hoc differt à veniali, quod peccatum mortale est offensa Dei ita grauis, vt mereatur nunquam dimitti, mereatur diuinam inimicitiam, priuationem æternam felicitatis, & pœnam æternam, ac det Deo rationabile ius rescindendæ amicitia, ac puniendi pœna æterna; peccatum autem veniale est ita leue, vt non mereatur diuinam inimicitiam, neque priuationem æternæ felicitatis, neque pœnam æternam, sed solum pœnam temporalem; sed hæc grauitas, & leuitas conuenit peccatis mortalibus, ac venialibus ex natura rei, præscindendo à libera voluntate Dei; ergo peccata mortalia differunt à venialibus ex natura rei, præscindendo à libera voluntate Dei. Probatum minor: nam odium Dei, blasphemia, homicidia &c. propter suam grauitatem merentur diuinam inimicitiam, & æternam damnationem; alioquin Deus iniuste, & gratis, ac sine rationabili iure esset inimicus committentibus hæc peccata, eoque puniret pœna æterna; peccata autem venialia, puta verba otiosa, aliaque similia, in quæ septies in die cadit iustus, propter suam leuitatem, non merentur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam; ergo &c.

6. Respondent, omnia peccata etiam verba otiosa &c. ex se dare Deo rationabile ius rescindendi amicitiam, ac puniendi peccantem pœna æterna; Deum autem propter quædam grauiora iustissime rescindere amicitiam, ac punire pœna æterna, propter alia leuiora misericorditer non rescindere amicitiam, ac non punire pœna æterna, ideoque illa constitui mortalia, hæc venialia, quæ pariter essent mortalia, si Deus vellet, vt iuste posset, propter illa rescindere amicitiam, & punire pœna æterna.

7. Sed contra primo: nam vt dicitur in tractatu de pœnitentia, Deus cum sit prima regula, cum, qui dignus est odio inimicitia, dum est dignus tali odio, non potest non odisse odio inimicitia, licet possit dimittendo peccatum, facere, vt non sit dignus odio inimicitia & sic non amplius odit

se odio inimicitia; sed iuxta hanc sententiam omnia peccata sunt digna odio inimicitia; ergo Deus omnes peccantes, dum actu peccant, odit odio inimicitia; sed qui dum peccat, à Deo odio habetur odio inimicitia, & est dignus pœna æterna, peccat mortaliter, ergo omnis peccans de facto peccat mortaliter, & dum peccat est inimicus Deo, ac dignus pœna æterna, adeoque desinit esse iustus, quod est contra Tridentinum sessione 4. capite 11. dicens. *Licet enim in hac vita mortali Sancti, & iusti in leuia saltem, & quotidiana quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinant esse iusti. Nam inferum illa vox est, & humilis, & verax, dimittite vobis debita nostra.*

8. Contra est secundo: nam qui committit peccatum, per quod meretur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam, proculdubio desinit esse iustus, etiam si Deus nolit acceptare ius ad inimicitiam, & ad pœnam æternam; sed vt docet Tridentinum venia, citatis, isti, dum committunt peccata leuia, & venialia, non propterea desinant esse iusti, ergo peccata leuia, & venialia non merentur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam, adeoque ex natura rei differunt à mortalibus, quæ merentur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam.

9. Contra est tertio: nam quod omnia peccata mereantur diuinam inimicitiam, repugnat bonitati naturæ rationalis, & pertinetioni gratiæ sanctificantis; ergo &c. Probatum prima pars antecedentis: natura enim bona non debet habere necessitatem mortalem ad hoc, vt sapius in die committat peccata, per quæ mereatur diuinam inimicitiam, priuationem vltimi finis, & pœnam æternam; sed natura humana habet necessitatem mortalem singulis diebus committendi plura peccata, ideoque Proverbiorum 14. dicitur. *Septies in die cadit iustus*, Iacobi tertio, *in multis offendimus omnes*, primi Ioannis primo, *dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos decimus*; ergo si omnia peccata ex natura merentur pœnam æternam, & inimicitiam diuinam, natura bona habet necessitatem mortalem, ad hoc, vt sæpius in die committat peccata, per quæ mereatur diuinam inimicitiam, priuationem vltimi finis, & pœnam æternam, quod repugnat bonitati naturæ.

10. Probatum iam secunda pars antecedentis: nam repugnat gratiæ sanctificantis, quod ita imperfecte faciat hominem iustum, vt remaneat necessitatis moraliter ad hoc, singulis diebus committat peccata, per quæ mereatur diuinam inimicitiam, priuationem vltimi finis, & pœnam æternam; sed homo etiam si habeat gratiam sanctificantem in gradu valde excellenti, puta in eo gradu, in quo illam habuerunt Apostoli, remanet necessitatis moraliter ad committenda singulis diebus plura peccata, vt patet ex testimonio

Sc rip

Scripturæ iam allatis, & ex omnium sententia, quam ex professo docet Sanctus Augustinus libro secundo de peccatorum meritis, & remissione; ergo si omnia peccata ex se merentur diuinam inimicitiam &c. homo quamuis habeat gratiam in gradu excellentissimo, remanet necessitatus moraliter ad hoc, vt singulis diebus committat plura peccata, per quæ mereatur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam.

11. Confirmatur, nam si peccatum mortale non differret ex natura rei à veniali, conclusa diuina reuelatione, non possemus dignoscere homicidium exempli gratia, adulterium &c. esse peccata mortalia, & efficere hominem simpliciter malum, verba otiosa, risum superfluum &c. esse peccata solum venialia, & non efficere hominem malum simpliciter; sed hoc dignoscimus; ergo &c.

12. Obijcies: peccatum mortale differt à veniali per hoc, quod mortale est transgressio præcepti grauius obligantis, peccatum veniale est transgressio præcepti leuiter obligantis; sed ex diuina libertate pendet, quod præceptum obliget vel leuiter, vel grauius; ergo ex diuina libertate pendet differentia peccati mortalis à veniali.

13. Respondeo primo, negando maiorem. Nam transgressio præcepti grauius obligantis. Si procedat ex deliberatione imperfecta, potest esse peccatum veniale: ex. gr. licet præceptum prohibens homicidium obliget grauius, tamen si quis committat homicidium cum imperfecta deliberatione, peccat solum venialiter; ergo differentia peccati venialis à mortali non est, quæ assignatur in argumento.

14. Respondeo secundo, nego minorem. Nam non pendet ex diuina libertate, quod præceptum prohibens odium Dei, blasphemias, & alia peccata huiusmodi facta cum plena deliberatione, obliget grauius, cum essentialiter obliget grauius; nec est in libertate Dei, vt præceptum prohibens actus imperfectè delibatos obliget leuiter; ergo non pendet à diuina libertate, vt peccata facta ex imperfecta deliberatione sint solum peccata venialia, & non sint peccata mortalia; peccata autem facta ex perfecta deliberatione, & circa obiecta grauius, sint mortalia. Addo, quod quidquid sit, vtum Deus ad aliquod leuè possit obligare grauius, profecto Deus non potest grauius obligare collectiue ad omnia leuia. Ratio est, quia Deus non potest facere legem intolerabilem; sed si daretur lex, quæ grauius obligaremur ad non dicendum vllum verbum otiosum, & ad faciendam, & omittendam omnia, ad quæ faciendam, vel omittendam de facto obligamur leuiter, talis lex esset intolerabilis; ergo Deus non potest ferre talem legem.

15. Respondeo tertio, distingo consequens; ergo ex diuina libertate pendet differentia peccati mortalis à veniali, supposita

entitate actuum, nego; ex diuina libertate pendet ita causas disponere, vt sequatur potius peccatum veniale, quam mortale, vel è conuerso, concedo consequentiam. Sensus quæstionis est, vtum supposita entitate duorum actuum, quorum alter sit peccatum mortale, alter veniale, tales actus differant ex natura rei, ita vt alter ex natura sua mereatur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam, alter ex natura sua non mereatur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam, sed mereatur solum pœnam temporalem. In hac quæstione aduersarij dicunt vtumque actum ex natura rei mereri diuinam inimicitiam, & pœnam æternam; nos negamus, ac dicimus alterum mereri diuinam inimicitiam, & pœnam æternam, alterum non mereri, adeoque alterum actum esse peccatum essentialiter mortale, alterum esse peccatum essentialiter veniale. Caterum non negamus posse nos ad aliqua obligari sub graui, ita vt si faciamus contra præceptum, faciamus actum, qui sit peccatum mortale, vel ad eadem posse obligari sub leui, ita vt sequatur actus, qui sit peccatum veniale, eo pacto, quo potest Deus, vel ita disponere hominem, vt generet monstrum, vel ita, vt generet hominem, & tamen homo, & monstrum differunt essentialiter, & ex natura rei; ergo in casu posito peccatum mortale, & veniale differunt essentialiter, & ex natura rei. Confirmatur: nam licet ex diuina libertate pendeat, vt homo hic, & nunc faciat actum charitatis, vel fortitudinis, tamen actus charitatis essentialiter, & ex natura rei differt ab actu fortitudinis; ergo idem dicendum in casu nostro.

16. Ex dictis inferri possunt aliquæ differentie peccati mortalis à veniali. Prima, & radicalis differentia, quam affert Sanctus Thomas 1.2. quæst. 72. art. 3. & quæst. 87. art. 3. & quæst. 88. artic. 1. est. Peccatum mortale est, quod ita transgreditur legem, vt auferat vitam spiritualem, adeoque sit ab intrinseco irreparabile: peccatum veniale est, quod ita transgreditur legem, vt non auferat vitam spiritualem, adeoque sit reparabile ab intrinseco. Probat, & explicat. Ex morbis corporis illi dicuntur mortales, qui auferunt vitam corpoream, ideoque sunt irreparabiles ab intrinseco; siquidem vita est principium reparatiuum; illi autem morbi non sunt mortales, qui non auferunt vitam corpoream, sed solum auferunt debitum ordinem humorum, vel aliquid aliud conducentem ad vitam, ideoque sunt curabiles, & reparabiles per ipsum principium vitale; sed peccatum est quidam morbus animæ, ideoque dicitur mortale, vel non mortale, proportionaliter ac morbi corporis; ergo peccatum mortale est quod priuat vitam spirituali animæ, ideoque est ab intrinseco irreparabile; peccatum autem veniale est, quod ita est transgressio legis, vt non priuet vitam spirituali animæ, ideoque est reparabile ab intrinseco; sed sicut vita corpo-

res consistit in hoc, vt corpus sit vnium animæ, quæ est finis corporis, sic vita spiritualis animæ consistit in hoc, vt anima per charitatem, vel per aliquid proportionale charitati habeat debitum ordinem, & vnionem ad Deum, qui est vltimus finis animæ; ergo peccatum mortale est, quod ita transgreditur legem, vt priuet hominem debito ordine ad Deum, & debita vnione, hoc est charitate, vel aliquo proportionali charitati, ita, vt auferens charitatem, vel aliquid proportionale, reddat hominem inimicum Deo; peccatum autem veniale est, quod ita transgreditur legem, vt hominem non priuet charitate, nec reddat inimicum Deo. Dixi vitam spirituales consistere, vel in charitate, vel in aliquo proportionali; quia licet in natura eleuata vita spiritualis consistat in charitate, qua homo constituitur Deo amicus, ac dilectus amore amicitie, tamen in pura natura, vita spiritualis consisteret non in charitate, qua homo constitueretur Deo dilectus amore amicitie, sed in aliquo proportionali, quo constitueretur Deo dilectus amore domini erga seruum non eleuatum ad amicitiam, & filiationem; peccatum autem mortale auferret hoc proportionale, & redderet hominem inimicum Deo.

17. Ex hac prima, radicali, & essentiali differentia, inferuntur alie differentie minus radicales, ac per modum proprietatis. Secunda ergo differentia est: peccatum mortale est irreparabile, & inaufibile ab intrinseco; peccatum veniale est reparabile, & auferibile ab intrinseco. Probatur: nam morbi eatenus sunt curabiles, & auferibiles ab intrinseco, quatenus remanet principium vitale; ablato autem principio vitali, sunt incurabiles, & inaufibiles ab intrinseco, ideoque mortui à solo Deo possunt reuocari ad vitam, cæci, in quibus corruptum est ipsum principium vitale videndi, à solo Deo possunt illuminari; sed peccatum mortale aufert ipsam vitam spirituales; veniale non aufert; ergo peccatum mortale est ab intrinseco irreparabile, & inaufibile, & cum Deus peccatum mortale remittit, facit miraculum maius, quam cum mortuum resuscitat, vt docet Sanctus Thomas, alijque communiter; peccatum autem veniale est ab intrinseco reparabile, & auferibile; siquidem vita gratie exigit, vt homo saltem cum consequitur beatitudinem, sanetur ab omnibus peccatis venialibus.

18. Tertia differentia est: peccatum mortale per se meretur poenam æternam; peccatum veniale per se meretur solum poenam temporalem. Probatur: nam peccatum, quod ex se est inaufibile, adeoque æternum, meretur puniri in æternum, peccatum autem, quod ex se est auferibile, & temporale, per se meretur puniri solum poena temporali; sed peccatum mortale per se est inaufibile, &

æternum, peccatum veniale est auferibile, & temporale; ergo &c.

19. Quarta differentia est: peccatum mortale facit hominem simpliciter malum; peccatum veniale non facit simpliciter malum. Probatur: nam quod est ineptum ad suum finem est simpliciter malum; exempli gratia, equus ineptus ad exercendas operationes quæ sunt finis equi, est simpliciter malus in genere equi; sed homo per peccatum mortale fit ineptus ad consequendam beatitudinem, quæ est vltimus finis hominis; per peccatum veniale non fit ineptus ad consequendam beatitudinem, sed solum meretur aliquam dilationem beatitudinis, & aliquam poenam temporalem; ergo &c.

20. Quinta differentia est: peccatum mortale est contra charitatem, cum auferat habitum charitatis, & gratie; peccatum autem veniale non est contra, sed præter charitatem, cum non auferat charitatem, sed solum non possit ordinari ad finem charitatis, & aliquo pacto est contra feruorem charitatis, vt loquuntur aliqui Theologi, quia est inconiungibile cum actu perfectissimo charitatis, per quem videlicet velis quis efficaciter obseruare omnia omnino præcepta, tum grauius, tum leuiter obligantia.

21. Sexta differentia est: peccatum mortale est propriè offensa Dei, peccatum veniale propriè non est offensa Dei, sed est pura transgressio legis. Probatur: nam propriè offensa Dei est, quæ dat Deo ius auferendi, vel saltem minuendi amicitiam; sed peccatum mortale dat Deo ius omnino auferendi amicitiam, peccatum autem veniale non dat ius auferendi, vel minuendi amicitiam, cum nullum auferat gradum gratie, sed solum dat ius ad puniendum poena temporali; ergo peccatum mortale est offensa Dei, peccatum veniale non est offensa Dei, sed est pura transgressio legis. Hinc sequitur peccatum mortale habere malitiam infinitam saltem secundum quid, peccatum autem veniale nec habere malitiam infinitam secundum quid, Probatur: nam offensa desumit suam malitiam à persona offensa, pura autem transgressio legis desumit suam malitiam à fine legis, hoc est à bono intento per legem, sed peccatum mortale est offensa Dei, quæ est Persona infinita, peccatum autem veniale non est offensa Dei, sed est pura transgressio legis, quæ habet pro fine intentum bonum solum finitum; ergo peccatum mortale habet malitiam secundum quid infinitam in ratione offensa, peccatum autem veniale habet malitiam solum finitam delictam ex fine legis, quam transgreditur. Facile est ex dictis inferre alias differentias, quarum aliquæ etiam indicantur in responsione ad quartam.

22. Opponit Vasquez 3. par. disp. 3. cap. 2. ad probandum peccatum veniale esse offensam Dei. Ad offensam Dei sufficit, ut sit actio displicens Deo, & contra eius voluntatem; sed peccatum veniale est actio Deo displicens; ergo &c.

23. Respondeo, distinguo maiorem: sufficit, ut sit actio Deo displicens ut opposita diuinæ dignitati, concedo; ut opposita bono intento per legem, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Actio displicens Deo pure ut opposita legi, & bono per legem intento, non est offensa, cum Deo non det vllum ius ad auferendam, vel minuendam amicitiam.

24. Dices primò: peccatum veniale minuit feruorem charitatis; sed charitas est amicitia; ergo minuit amicitiam.

25. Respondeo distinguo maiorem: minuit feruorem charitatis passiuæ, qua diligimur à Deo, & actiuæ, qua Deum habitualiter diligimus, nego; charitatis pure actiuæ, & actualis, qua Deum diligimus actu, & à qua possumus cessare etiam sine villo peccato, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Peccatum veniale non minuit vllum gradum charitatis habitualis, & gratiæ, in qua consistit amicitia hominis cum Deo, per quam constituimur dilecti à Deo, & diligimus habitualiter Deum, sed solum minuit, vel potius impedit feruorem charitatis actualis, in quantum non est coniungibile cum actu feruentissimæ charitatis, quo ita Deum diligamus, ut ex eius amore velimus efficaciter in omnibus conformare nos diuinæ voluntati. Cum enim venialiter peccans per hoc ipsum, quod peccat, non se conformet diuinæ voluntati, non potest cum peccato veniali coniungere illum actum feruentissimæ charitatis. Porro actus non est offensa amici per hoc, quod sit inconiungibilis cum actu feruentissimi amoris erga amicum, si nihil imminuat de amicitia habituali. Quia peccatum veniale neque auferit, neque minuit charitatem habitualement, dicitur non esse contra charitatem, sed præter charitatem, in quantum non potest ordinari ad finem charitatis.

26. Dices secundò: qui Deo, & legi diuinæ præfert aliquod bonum temporale, contemnit, & offendit Deum, ac diuinam legem; sed qui venialiter peccat, Deo, & legi diuinæ præfert illud bonum temporale, pro quo peccat; ergo &c.

27. Respondeo, negando minorem. Qui ita vult aliquod bonum temporale, ut sit actu, vel habitu paratus illud bonum contemnere, si Deus id iubeat præcepto grauitè obligante, non præfert illud bonum Deo, & diuinæ legi, sed præfert Deum, & diuinam legem tali bono; sed qui solum venialiter peccat, est actu, vel habitu paratus ad contemnendum illud bonum, pro quo peccat, si Deus grauitè iubeat talem contemptum; ergo non præfert illud bonum Deo, sed Deum præfert illi bo-

no, ac solum peccat per hoc, quod minus præferat, & ponat impedimentum perfectæ prælationi.

28. Dices tertio: saltem peccatum veniale est contra Deum ut legislatorem, & contra diuinam legem, & voluntatem.

29. Respondeo etiam hoc posse negari, & à multis negari. Potest enim dici cum Sancto Thoma 1. 2. quæst. 88. art. 1. ad 1. Alexandro de Ales, Sancto Bonaventura, & alijs, quos citat Vasquez 1. 2. disp. 143. cap. 1. 2. & 3. peccatum veniale non esse contra Deum ut legislatorem, neque contra legem, & voluntatem Dei, sed solum esse præter legem. Ratio est, quia esse contra Deum ut legislatorem, & contra legem diuinam, est præferre aliquid Deo ut legislatori, ac diuinæ legi, & voluntati; sed venialiter peccans est saltem habitualiter paratus contemnere bonum, pro quo peccat, si Deus talem contemptum grauitè iubeat; ergo simpliciter præfert Deum, & diuinam legem, & voluntatem illi bono, pro quo peccat, ac proinde nullum bonum præfert Deo ut legislatori, cuiusque legi, ac voluntati, ac solum peccat, quia minus præfert; ergo non facit contra Deum, & contra legem, sed præter legem, in quantum bonum, pro quo peccat, minus præfert legi, quam deberet.

30. Ad 1. nego maiorem, ac dico peccatum mortale esse, quod auferit vitam spiritualem, ideoque est irreparabile, & meretur diuinam inimicitiam, & pœnam æternam, seu Deus velit illud misericorditer dimittere, siue non; peccatum autem veniale esse, quod ex se non auferit vitam spiritualem, ideoque ex se est reparabile, & si non coniungatur cum mortali, non meretur pœnam æternam, seu Deus velit illud dimittere, & non punire pœna æterna, seu propter conjunctionem cum mortali, nolit illud dimittere, sed punire pœna æterna; sed hæc differentia est ex natura rei, præscindendo à libera voluntate Dei, ut ostensum est; ergo &c. Hinc sequitur contra Vicleffum non omnia peccata prædestinatorum esse venialia; ex. gr. licet David esset prædestinatus, tamen per homicidium, & adulterium peccauit mortaliter, ac meritis est diuinam inimicitiam, & pœnam æternam. Sequitur rursus non omnia peccata reproborum esse mortalia; ex. gr. Iudas, dicendo verba otiosa, peccauit solum venialiter, itaut per illa non meruerit diuinam inimicitiam & pœnam æternam, licet de facto fortasse Deus aliqua peccata venialia Iudæ propter conjunctionem cum mortali non dimiserit, sed puniat pœna æterna.

31. Ad 2. nego minorem, ac dico multa peccata non esse offensam Dei, nec mereri dissolutionem diuinæ amicitiae, ut ostensum est, adeoque non esse mortalia, sed venialia ex natura rei, & præscindendo à libera voluntate Dei.

32. Ad 3. distinguo maiorem: peccatum mortale est, quod meretur pœnam æternam

per se, etiam si non coniungatur cum alio peccato, concedo; quod meretur pœnam æternam per accidens, si coniungatur cū alio peccato ex se merente pœnam æternam; nego; & distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Differentia mortalis à veniali est, quod mortale per se meretur pœnam æternam, veniale per se non meretur pœnam æternam, licet possit illam mereri per accidens propter coniunctionem cum mortali; sed ex natura rei, præscindendo à libera voluntate Dei quædam peccata, puta adulterium, homicidium, &c. merentur pœnam æternam; quædam, vt verba otiosa, per se non merentur pœnam æternam; ergo differunt ex natura rei, præscindendo à libera voluntate Dei, licet ex diuina misericordia pendeat, quod peccatum veniale neque per accidens mereatur pœnam æternam, siquidem ad hoc requiritur, vt Deus liberè impediatur coniunctionem peccati venialis non remissi cum finali peccato mortali.

33. Ad 4. respondeo primo, nego maiorem. Nam peccatum mortale non differt à veniali per vllam ex tribus differentijs allatis in argumento, sed differt differentijs à nobis assignatis. Respondeo secundò, nego minorem. Dico igitur primò; peccatum mortale est contra finem, in quantum meretur priuationem vltimi finis, hoc est beatitudinis; peccatum veniale est solum contra media, quia non meretur priuationem finis, sed solum aufert aliqua media vtilia, sed non necessaria ad beatitudinem, adeoque sententia Caietani, & Corradi explicata in hoc sensu est vera, & habet fundamentum in Sancto Thoma 1. 2. quæst. 78. art. 1. Dico secundò, quod peccatum mortale differt à veniali per hoc, quod mortale est contra legem necessariam ad salutem, veniale non est contra legem necessariam ad salutem, sed solum est præter talem legem, licet negari nequeat veniale esse contra aliquam legem non necessariam, & contra aliquod præceptum obligans, ac non esse contra purum consilium. In hoc sensu sententia Sancti Bonaventuræ, & Alensis est vera, & habet fundamentum in S. Thoma 1. 2. qu. 88. art. 1. ad 1.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum peccatum mortale habeat malitiam infinitam simpliciter?

S. Thomas quæst. 73. art. 10. & 11.

1. **V**idetur peccatum mortale habere malitiam infinitam simpliciter, vt docuerunt Alexander de Ales 3. parte qu. 1. membro 6. art. 2. S. Bonaventura in 3. dist. 11. quæst. 3. Richardus ibidem, quos sequuntur multi recentiores, præsertim Thomistæ; pri-

mò quia, quo maior est persona offensa, eo maior est offensa; sed Deus, qui offenditur per peccatum mortale, est persona simpliciter infinita; ergo &c.

2. Secundò tantum est malum priuationis, quantum est bonum, quo priuat; sed peccatum mortale priuat Deo, qui est bonum simpliciter infinitum; ergo &c.

3. Tertio quod priuat bono maiori, & maiori in infinitum, est infinitum simpliciter in ratione mali priuatiui; sed peccatum mortale priuat gratia maiori, & maiori in infinitum; ergo &c.

4. Quarto peccatum, quod demeretur de condigno bonum maius, & maius in infinitum, est infinitum simpliciter in ratione demeriti; sed peccatum mortale demeretur de condigno gratiam maiorem, & maiorem in infinitum; ergo &c.

5. Quintò peccatum eo est maius in ratione culpæ, quò maiorem pœnam meretur, sed peccatum mortale meretur pœnam æternam, quæ est simpliciter infinita; ergo &c.

6. Sextò peccatum mortale priuat Deum ratione vltimi finis; sed hoc est priuare Deum infinito bono; ergo peccatum mortale priuat Deum infinito bono, ac proinde est infinitum malum.

7. Septimò peccatum mortale non est eligibile pro vllò bono consequendo, etiam maiori, & maiori in infinitum; ergo in ratione mali est maius quolibet bono in ratione boni etiam maiori, & maiori in infinitum; ergo est malum simpliciter infinitum.

8. Respondeo, quod explicata differentia peccati mortalis à veniali, sequitur vt examinemus, vtrum peccatum mortale sit infinitum simpliciter, vel secundum quid.

9. Dicendum primò; peccatum mortale non est infinitum eo genere infinitatis, quo meritum, & satisfactio Christi sunt infinita. Probatur primò; nam vt dicitur in tractatu de Incarnatione, meritum, & satisfactio Christi ita sunt infinita in ratione meriti, & satisfactionis, vt singula Christi merita mereantur de condigno quodlibet præmium maius, & maius in infinitum, & singula Christi satisfactiones possint satisfacere de condigno pro peccatis pluribus, & pluribus, maioribus, & maioribus in infinitum; ergo vt peccatum mortale esset proportionaliter infinitum in ratione demeriti, singula peccata mortalia deberent mereri de condigno quamlibet pœnam maiorem, & maiorem in infinitum; sed hoc est falsum; nam, quodlibet peccatum mortale meretur pœnam determinatam, & finitæ solùm intentionis; ergo &c.

10. Confirmatur; nam quodlibet Christi meritum ita est infinitum, vt non possit dari præmium excedens, vel æquale, & Christus non mereatur maius præmium pro vno meritum, quam per plura; sed vnusquisque peccato mortali dari potest pœna æqualis, & si daretur pœna maior, pœna excederet